



Hann M. Fortwährlg Briesen d. 10 Februar 1806.

4

DE  
TINCTVRAE  
ALCALINAE MARTIALIS  
PRAEPARATIONE VSV MEDICO ET  
PRAEROGATIVA PRAE ALIIS TINCTVRIS  
ALCALINAE INDOLIS

---

CONSENSV AMPLISSIMI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE  
D. ADAMO NIETZKI

PRAECEPTORE HONORATISSIMO

DIE IX. MAII CIO ICCC LX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DISPVTABIT

AUCTOR

ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΣ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΖΟΥΠΑΝ

Μοσχοπόλετης Μακεδών.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
STANNO SCHNEIDERIANO.



ALLEGIANAE MARTIALES  
TINCTARIE

PRAEFATIOME ASA MEDICO ET

PHARMACOGRAFIAE TICAE ALIAS TINCTARIE

ALLEGIANE INDICIA

CONSENSA VITIOSA MEDICINA ORIGINIS

IN REGIA IMPERIALIA

EXTRACTUS

D'ABBRONZI ET SEPI

ET C. M. D. L. 1600

KRINTZKINIS EODQDIOZ SÖHNAN

HANAE MAGDEBVRGICAE

S. T. V. N. O. G. E. H. E. I. D. A. I. A. N. O.

Τῷ ἐνδοξοτάτῳ καὶ ἐυγενεστάτῳ

Τῆς ἐυνόμου καὶ περιφήμης πολιτείας

Μοσχοπόλεως ἔκάρχοντι

Κυρίῳ Κυρίῳ

## ΘΕΟΔΩΡΩ ΒΡΕΤΑ ΖΟΥΠΑΝ

τῷ φιλοσοργωτάτῳ μοι Πατρὶ

τὴν μὲν αἰδοῦς καὶ ἐυλαβέας προσκύνησιν.

Απορουμένω μοι καὶ τῷ νοΐ ἀνακυλοῦντι, ὡς Φιλόσοργος γεννέτα, τίνι ἄν προς Φυέζερον καὶ καταλληλότερον ἔιεν τὸ μιρὸν τούτη καὶ αἰαλλὲς προςφωνῆσαι σύγγραμμα, ἀτεδί πολλῶν καὶ γένειμοι προσκιόντων, καὶ πολλῷ πλειόνων ἐνοίκως ἔχόντων, ἥμισισα; Τὸ σὸν λαμπρανγές καὶ τιμαλφέστατον ἀνυδίσαν ὅ-



A 2  
νομα,

ΦΙΛΟΣΟΦΙΑ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ

νομα, παραπόδας πάντας τοὺς ἄλλους ὡς ἡλος τουζλοιποὺς ἀστέρως, ταῖς τῶν ἀκτίνων μαρμαρυγαῖς ἀπημαύρωσεν, ὅιαδὲ οὐ μόνον αὐτὸς μοι τὸ εἶναι παρέσκεψ, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ ἔν εἶναι εἰσηγησάτε καὶ παρανέστεσι συνεχῶς ἐπαρκῶν, καὶ τὸ δισάντες καὶ δύσβατον τῆς ἐξ ἑλικῶνα ἀγούστις συνεχέστι καὶ ἀδραῖς ἐπιχορηγήσεσιν ἐξ δεῦρο καθομαλῶν οὐκ ἐπικύστω. Διόμοι καὶ Φύσις ὑποτίθεται καὶ Θεσμοὶ Θεοὶ παραπελέυσονται τῶν τῆς ἐμῆς ἀνθέων Ιωνιᾶς καὶ νεοδρέπτων καρπῶν ἀκροθινῶν, τῶν ἐμῶν Φιλοπούνιατῶν, Σοὶ μᾶλλον εἴπερ ἄλλωτῷ ἀπάρχεσθαι. Δέξαιο μοι τοίνυν ἐνμεγάντι τὰ παρόντα τοῦτε νοοῦ καὶ τοῦ ἀκαδημιοῦ σταδίου ἔκγονα οἰονεὶ ἀπαρχής τινάς, εἰ καὶ μὴ μεγάλα καὶ ἀξια τῇτε περὶ ἐμέσου κηδεμονίᾳ μηδαμῶς ἐξισούμενα, τὰ γοῦν ἐμοὶ δυνατὰ καὶ Φυκῆς ἐνγνώμονος σύμβολα, ἦν δὲ ποτὲ Θεὸς δώρι μεῖζω καὶ τελειώτερα. Σὸς ὅλος καὶ τῶν σῶν νευμάτων αἱρεῖ ἐκκρεμής

"Εγερψα

αὐξε"

"Απερλλου κ ḥ

"Αθήηησι Σαλανάσ.

ὑπερβούστατες δοῦλος καὶ θίσ

Κωνσταντῖνος.

D I S S E R-



DISSESSATIO CHEMICA  
DE  
TINCTVRAE  
ALCALINAE MARTIALIS

PRAEPARATIONE VSV MEDICO ET PRAEROGATIVA  
PRAE ALIIS TINCTVRIS ALCALINAE INDOLIS.

INSTITVTI RATIO.



Est iam ad liquidum exploratae veritatis, medicamenta resolu-  
uentia et roborantia in plurimis morbis chronicis summe  
necessaria esse, non parum vero inter se differre, tam ra-  
tione relationis, quam habet aeger erga illorum usum,  
quam etiam ratione temporis, quo illa effectus in corpo-  
re edere solent. Alia enim non sine magno incommmodo ab aegrotantibus al-  
sumi possunt; alia longissimum quoddam tempus requirunt, ad desidera-  
tum effectum in corpore humano producendum. Nunc vero tibi jam offre-  
ro, Benevolo Lector, remedium resoluentis insimulque roborantis virtutis,  
turissimum, gratissimum, celeritate effectus maxime conspicuum, omnique  
admiracione dignissimum, quod ante tres, et quod excurrit, annos ex pra-  
iectionibus chemicis solidissimis gravissimi Praefidis, atque Praeceptoris mei  
perpetuo colendi acceptum habeo. Paullo post multis amicis, Medicinae  
cultoribus hoc medicamentum patefeceram, qui se in chronicis morbis egre-

gium expertos esse effectum laeti testabantur. Factum est inde, ut illorum quidam admirabile hoc medicamentum in arcanis haberent, eiusque inventionem arrogare sibi velle viderentur. Quod quum expertus esset, excellensissimum Praesidem submissi rogavi, ut mihi facultatem hoc remedium publici faciendi iuris concedere veller. Qui quum desiderium meum hilari audiuerit vulnu, non solum libertatem mihi hoc medicamentum publicandi concessit, verum etiam multas obseruationes ex sua felicissima praxi mecum communicauit, quae ad illius vires cognoscendas faciunt, quas meis de eodem ipso remedio animaduersionibus adiunxi, quo magis dicendorum veritas eluceret. Nata iam inde est praefens Dissertatio Academica, cuius argumentum ea soliditate et perspicuitate methodi, quam grauissimus Praeses in proponendis dogmatibus chemicis adhibere solet, pertractare conabor; ideoque certis quibusdam principiis praemissis, iisdemque inter se connexis, alia ex chemicis supponam, vt e re erit. Accipe igitur serena fronte, Lector Benebole, hanc propositionum seriem, quam more Geometrarum conceptam tibi nunc offero, nostramque opellam, quam bono publico inseruendi studium excusit, optimam in partem interpretare!

## EXPERIMENTVM.

§. I. Faē, vt nitrum in crucibulo candente liquecat, atque eidem iam fluenti partitis vicibus adiice puluerem vel carbonum, vel plantac, vel corporis cuiuscunque ficei, similiterque abundantis phlogisto: atque actuum deprehendes, quanto cum strepita massa ebulliat, quantopere illa cum fuligine quodam in altum adscendar, fumos copiosos coloris rufi eructans. Continuata iam huiusmodi pulueris ad nitrum in igne liquefens additione, tandem fore videbis, vt massae strepitus et sumi magis magisque decrescant, cesserent demique; massa ipsa ad spissum perduta, non nisi intensiore gradu ignis ad tenuem fluxum adigenda. Idem etiam contingit, quando nitrum cum puluere indicatae conditionis prius commixtum crucibulo cande-

fa-

facto successione ingeritur. Sed quod iam ad massae ipsius, in crucibulo haerentis, qualitates attinet, tantum abest, ut illa nitrum exhibeat, ut prius verum alcali fixum sit, inter Chemicos sub nomine nitri alcalifati, sive nitri fixi notissimum, & quod iam vulgarissimas salis alcalici fixi species cunctate superat.

## SCHOLION.

§. II. Kali vocabulum plantam quamdam significat, ex cuius ceteris lixiuum paratur, quod evaporatum copiosum salem, alcali diutum, suppeditat. Idem nomen iam translatum est ad illum quoque salem, qui ex aliorum vegetabilium cineribus, simili modo tractatis, obtinetur. Neque aliter inter se differunt sales plantarum incineratarum, quam partim ratione salis mediae naturae, iisdem interdum adhaerentis; quam etiam ratione partium terrearum: quae singula abiguntur, instituta depuratione, perficienda ope solutionis, filtrationis, inspissationis, crystallizationis et calcinationis, quemadmodum conditio rei postulat. Constituit iam antiquissimis gentibus ista alcali fixi ex plantarum combustionē praeparatio; quod egregie docuit magnus BOERHAAVVS in *elem. Chem. tom. I.* Vulgarissimas porro huius salis species constituant sal tartari et cineres clauellati, quibus vero insignis quedam causticitas conciliari potest, phlogisto iisdem rite applicato, ut praecipiunt Chemici. Fit id, quando alcali fixum vel caementatur cum calce viva, aut metallis ignobilibus; vel cum his per aliquod tempus funditur; vel lixiuiis alcalinis calx viva additur; vel nitrum alcalifatur, detonatione instituta, cuius genii iani est experimentum, quod in §. praeced. enarratur. Ita vero alcali fixi ortum tibi hic concipere debes. Nitri scilicet mixtio duabus praecepue partibus miscibili bus absoluatur, quarum prior acidum suac speciei, posterior vero alcali fixum efficit. Nitro præterea haec qualitas competit, ut, addito eidem phlogisto, statim cum strepitu quodam incendatur, accidente igne: quo simul

simul sit, ut acidum ab illo avellatur, quod iam sub forma fumi rufescens auram petit. Probant id satis experimenta detonationis, in retortis tubulis instituta, quae locum habere solent circa clyssorum praeparationes; vbi transentes vapores per collum retortae ad vas excipiens illi applicatum in guttas acidas coeunt. Sic iam disperso nitri acido, pars eius miscibilis altera, quae alcali fixum est, relinquitur et necessario causticum sit, ob copiosum phlogiston, quod ipsis sub operatione accesserat. Atque hoc ultimo modo alcali causticum paramus, ex quo utilissimam nostram tincturam obtinere solemus.

## EXPERIMENTVM.

§. III. Quando alcali fixum siccum, non causticum, quod tamen alias bonae notae est, cucurbitae vitreae ingeritur, eidemque spiritus vini rectificatus assunditur, vaseque ipsum, in quo iam continetur nunc descripta massa, ad locum digestionis reponitur: nullo plane modo obseruabis, mutari colorem spiritus vini, quo usque etiam protraxeris operationem digestio-  
nis. Quod si vero idem experimentum cum alcali causticitate praedito in-  
stituatur: intra aliquod tempus spiritum vini rubente colore tingi, et quoad  
saporem acrem fieri deprehendere licet.

## DEFINITIO.

§. IV. Deprehensis modo dictis in §. praeced. qualitatibus, quas spiritus vini, alcali fixo assutus, nanciscitur, *tincturam alcalinam* fieri dicere solent Chemici.

## COROLLARIUM.

§. V. Ad tincturae alcalinae praeparationem opus est alcali caustico (§. III et IV).

## COROLLARIUM.

§. VI. Nitrum alcalisatum erit massa idonea ad conficiendam inde tincturam alcalinam (§. I et V).

EXPE-

## EXPERIMENTVM.

§. VII. Alcali caustico calido, siccо guttатим adde oleum quoddam, hoeque ope triturationis in mortario marmoreo cum massa subige, istamque subactionem accedente digestione magis promove, vt agere solent Chemici paraturi sapones philosophorum. Deinde massae isti, iam scatenti partibus oleosis spiritum vini affunde, illamque digestioni committe. Quo vix peracto, statim videbis prodire tincturam, illa longe saturatiorem, quae parari solet absque isto artificio.

## COROLLARIUM.

§. VIII. Citiorem adeoque ortum tincturae alcalinae iuvant partes oleosae, efficiuntque simul, vt illa breui tempore saturatior fiat (§. antec.).

## SCHOLION.

§. IX. Vnde sit, vt spiritus vini rectificatissimus, qualis ordinarie esse solet, ob oleum suum aptus quoque sit ad tincturae alcalinae confectio- nem, quo si per frequentissimas rectifications priuatus fuerit, eius defectus aliunde suppleri debebit. Solidissimis argumentis id euidenter dedit illustris BÜCHNERVS, Praeceptor omni honoris cultu prosequendus, in *dissertat.* de *tincturis alcalinis*, quae hic locorum anno 1746. prodiit. Restituitur vero in spiritu vini huius oleum perditum vel tali adaptatione massae alcalinae, qualis in §. VII. exponitur; vel etiam ita, vt spiritus vini super vegetabilia abstrahatur, partibus oleosis abundantia, aut in illo denique oleum quoddam destillatum solvatur. Tandem quod ad selectum oleorum istis visibus inseruentium attinet, generatim notari debet, quod reliquis praefferenda veniant, quae gratum iucundumque odorem spirant; dum in medicamentorum praeparatione eo respiciendum est, vt illa sensibus fiant accepta. Quando autem animum induxisti parare tincturam alcalinam, quae specificis quibusdam effectibus in morbis magis responderet: tunc omnino opus erit, vt etiam huic intentioni conformem habeas rationem oleorum, ad medicamenti praeparationem adhibendorum. Sed iam alio loco huius dissertationis plura

dicentur de ista tincturarum alcalinarum commutatione, quae congrua foret ad specificos in corpore producendos effectus.

## EXPERIMENTVM.

§. X. Tinctura alcalina cum syrupo violarum confusa, huius coloris coeruleum in viridem transmutat. Videbis eam quoque effervescente, acido quocumque illi instillato, salemque inde oriri mediae naturae. Solutiones porro acidae inde praeципitantur. Addita denique sali ammoniaco, salem vrinosum, in hoc contentum, liberum facit.

## COROLLARIVM.

§. XI. Tinctura alcalina verum alcali fixum in se continet (§. anteced.).

## COROLLARIVM.

§. XII. Tincturas itaque alcalinae notionem magis realem tibi formaturus, illam considerare debes instar solutionis alcalinae spirituosa (§. IV et XI).

## EXPERIMENTVM.

§. XIII. Martis limatura purissimae partem unam cum tribus partibus nitri depurati in mortario lapideo commisce, massamque siccissimam diuisis viciibus crucibulo candenti committe: videbis tunc nitrum deronare, atque illis similia prodire *Carneum*, quae in descripto ad §. I experimento iam annotata sunt. Portioni massae in crucibulum delatae, quam primum illa spissa facta esse, nulosque amplius strepitus edere videatur, nouam addere; idque rotis repte, quories hanc quoque insipissatam quietamque esse apprehenderis, donec hoc modo omnis massae detonandaes quantitas crucibulo ingesta fuerit. Hance praeterea operationem instituturum oportebit, ignem in eo gradu constanter conseruare, quo opus est, ut crucibulum bene candescat; porro cavere, ne carbones in crucibulum incident, quod ideo operire conveniet, relieta tamen quadam apertura, ut nitri acidum sub forma fumi rufescens commodius auoleret; tandemque massam in crucibulo magis magisque spisscentem ope cochlearis ferrei nonnumquam subagitare.

Qui

## ALCALINA MARTIALI.

II

Quibus absolutis, massa ignescens ex crucibulo, beneficio cochlearis ferrei, eximatur, nunc importanda mortario ferreo calefacto, ut statim in puluerem redigi, atque ad ulteriores usus adhiberi possit. Massa ista sub examen vix vocata, statim cognoscet, illam alcali fixi speciem referre, plus superantem causticitate nitrum, per carbones aut alia vegetabilia alcalisatum.

## THEOREMA.

§. XIV. Massa illa alcalina, quae per operationem in §. anteced. descriptam, producitur, idonea est ad parandam inde tinturam alcalinam.

## DEMONSTRATIO.

Ex §. antec. videre licet, massam istam tibi suppeditare alcali causticum, eius ortus, quo concipiendus sit modo, iam explicatus est in §. II, et quidem eo loco, ubi de nitri conuersione in salem alcalinum ope detonationis sermo erat. Haec igitur massa nihil aliud erit, quam per phlogiston Martis alcalisatum nitrum. Sed quum in genere nitri fixi ea sit conditio, ut illud inseruire possit tinturae alcalinae conficienda (§. VI.): quin idem quoque valeat de nitro, per Martem in salem alcalicum fixum mutato, dubitari nequit. Vnde iam massae huius aptitudo ad tinturae alcalinae præparationem satis certo cognoscitur. Q. e. d.

## DEFINITIO.

§. XV. Tinctura alcalina martialis est, quae praeter alcali fixum, ferri quoque partes in se continet; sive, quae refert solutionem spiritu-fami alcalinam, simulque martialem.

## PROBLEMA.

§. XVI. Tincturam alcalinam martialem parare.

## RESOLVTIO.

I. Massam alcalinam, per experimentum §. XIII. productam, statim in puluerem converte, uti iam dictum erat in eodem §. atque adhuc calentem excubita vitreae, siccae et calefactae ingere.

B 2

II. Cui

COROL.



II. Cui iam affunde spiritum vini ad eminentiam aliquor digitorum, massamque ita instructam digestioni committe.

III. Quando iam spiritus vini illis qualitatibus satis abundare videatur, ex quibus tincturae alcalinae ortus aestimari solet (§. IV.): illum tunc defunde, siue decanta, ut Chemici loqui solent, illiusque nouam portionem affunde massae in cucurbita residuae; eidem aequa, ac antea additus operationem digestionis, hancque eousque continuaturus, donec tincturae *φανόμενα* iterum satis conspicua fiant. Haec toties repeteret poteris, quoties spiritum vini adhuc tingi deprehendes; singulas istas extractiones vel inter se confusurus, vel separatim asservatus, prout tua interesse putas, tincturam alcalinam martiale aut magis dilutam, aut plus saturatam possidere. Q. e. i.

## DEMONSTRATIO.

De massa enim in resolutione problematis commendata iam constat, quod illa inseruire possit praeparationi tincturae alcalinae (§. XIV.). Nullum igitur dubium erit, quin etiam huius indolis tinctura obtineatur, massae isti adhuc liberae ab humido, quod alcalia ex aere facile recipere solent, affuso spiritu vini, riteque applicato digestionis calore, quo corporum extractiones solutionesque valdopere iuuari solent. Sed magis adhuc conuictus fies de huius tincturae alcalica natura, cum illa instituturus experimentum in §. X. propositum, atque ibidem descriptra *φανόμενα* hic quoque obseruantur. Affunde porro acidum quocumque velis ad tincturam istam, et videbis inde puluerem tenerimum flauique coloris praecipitari, qui, operationi reductionis subiectus, a magnete lubenter attrahitur. Idem etiam experimentum reductionis succedit cum puluere, qui post spiritus vini dispulsionem ex tinctura relinquitur. Ut itaque ne de particularum quidem ferri existentia in ista tinctura dubitari possit. Quae quam ita se se habeant: patet, tincturam modo proposito paratam, exhibere solutionem spirituosa alcalinam, simulque martiale, ideoque veram esse tincturam alcalinam martiale (§. XV).

Q. e. d.

COROL.

## COROLLARIVM.

§. XVII. Quod si iam e re tua fuerit, intra breve tempus hancce tincturam admodum saturatam fieri: adhibere poteris ad illius praeparationem spiritum vini oleo valdopere abundantem (§. VIII et IX). Vel etiam congruum cum hoc fine erit, massam istam alcalinam, cum spiritu vini extrahendam, oleo quodam antea saturare: atque tunc obtinebis saponem philosophorum martialem (§. VII.).

## SCHOLION.

§. XVIII. Variis experimentis commonstrauit Praeses excellentissimus, in präelectionibus suis chemicis, praeter ferrum plura alia corpora dari, quae terram martialem continent, arque operationi detonationis submissa nitrum in alcali conuertunt, quae idcirco pariter apta quoque forent ad tincturæ alcalinae martialis präparationem. Magis tamen faciet Mars ad hunc scopum facilius impertrandum.

## THEOREMA.

§. XIX. Tinctura alcalina martialis virtute resoluente, simulque roborente polleat, necesse erit.

## DEMONSTRATIO.

Longo vsu inter Medicos constituit, remedia alcalina massam humorum resoluere, martialia vero partibus solidis robur addere. Sed in tinctura alcalina continentur partes et alcalinae, et martiales (§. XV). Ergo tinctura alcalina martialis vi resoluente, simulque roborante gaudeat, oportebit. Q. e. d.

## COROLLARIVM.

§. XX. Quando igitur in sanationibns morborum occurruunt easus, qui massae humorum celerem validamque indicant resolutionem, simulque postulant, vt corpus roboretur: ibi tinctura alcalina martialis usurpata cito tuto et iucunde ager. Huius genii sunt plurimi morbi chronicci, vt tumorres indurati, hydropses, viscerum oppilations, et qui ab humorum viscosity et corruptione oriri solent.

## THEOREMA.

§. XXI. Tinctura alcalina martialis reliquis tincturis alcalinae indolis praefesti meretur.

## DEMONSTRATIO.

Ad consuetas tincturas alcalinas, quae in pharmacopoliis parari solent, pertinent tinctura tartari, sulphuris, antimonii tartarifata et regulina, tandemque tinctura metallorum. Singulae istae tincturae solum modo resoluentem effectum exserunt; nisi quod tinctura sulphuris, ob sulphur ipsi admixtum, in scabie retropulsa utilem aliquam diaphoresin producere possit, et tinctura antimonii et metallorum, corporibus ictis metallicis per detonationem non rite destructis, aegro magis nocet; dum inde, ut experientia docuit, cardialgia, vomitus, imo plura alia incommoda in tubo cibario suborta sunt, non mediocreiter aduersaria felici morborum curationi. Sed longe alia iam est conditio tincturae alcalinae martialis; utpote quae praeter vim resoluentem, virtute quoque praedita est corpus roborandi, atque ita simul id efficiendi, ut aucto vasorum labore illa maiore cum vi in fluida agere possint, horumque resolutio multo citius obtineatur. Ut de eo nil dicam, quod inde corpus aegri non laedatur, si forte congerit, vi partes ferri, in tinctura hacce contentae, non satis destrucent fuerint. Ex adductis satis iam apparet, tincturae alcalinae martiali praerogatiuam prae aliis tincturis alcalinae indolis concedendam esse. Q. e. d.

## SCHOLION.

§. XXII. Multo minus dubito fore, ut propositio §. praeced. Lector Benevolus assensum suum praebeat, quando eamdem veritatem per experientiam quoque probauerim. In quem siue iam recensere aliquos casus, in quibus tinctura alcalina martialis tanto cum commodo aegrotantium usurpata erat, ut vix aliud quoddam medicamentum prostare videatur, quod huic tincturae aequipolleat; habita nimis ratione brevis temporis, intra quod exoptatos effectus patrat.

CAT.

## CASVS.

§. XXIII. Vir quidam quadragenarius in glandulis inguinalibus partis dextrae scirrum concepit, ipsi obortum ex compressione facta a brachetrio, quod propter herniam inguinalem per viginti annos gestaverat. Eadem ante tres menses suborta est φλεγμών in pede dextro, in oedema pedis affecti transmutata. Posteaquam illi tincturam hancce ad viginti guttulas singulis duabus horis, ex decocto herbarum resoluentium exhibueram, id effeci, vt, trium septimanarum spatio elapsa, non solum a scirro glandularum inguinalium, sed etiam ab oedemate pedis penitus liberaretur.

## CASVS.

§. XXIV. Vir fere quinquagenarius, qui iam per longum tempus ab ingentis molis scirro in parotide dextri lateris, se usque ad glandulas colli extendeunte, afficiebatur, vsu tincturae alcalinae martialis intra tres septimanas sanatus erat.

## CASVS.

§. XXV. In iuvene sedecim annorum, cui scirrus magni ambitus in parotide et glandulis colli dextri lateris natus erat, hunc effectum praestitit eadem tinctura, vt, interhallo trium hebdomadum absoluto, scirrus evanesceret, aegerque pristinas sanitati restitueretur.

## CASVS.

§. XXVI. Scirri in glandulis colli apud puerum quemdam, octo annos natum, exorti, hoc ipso remedio intra ostendum proligabantur.

## CASVS.

§. XXVII. In puella quadam viginti et quod excurrit annos nata, post grauem quemdam terrorem menstrua supprimebantur. Paullo post insequebatur febris quartana, qua per semestre affligebatur misera. Iam cachecticae factae oboriebatur tumor circa hypochondrium sinistrum. Huic aegrae offerebatur tinctura alcalina martialis, qua diebus vacuis, singulis duabus horis ad guttulas aliquot vrebatur. Medicamento ad vnicam dimidiad consumpto, satis larga excretio menstrua rediit, tumor hypochondrii decrevit, et febris longe mitior facta

facta est; ita, vt, rite continuato vſu huius praestantis remedii, sine dubio pernitus a morbo restituatur.

## CASVS.

§. XXVIII. Viro cuidam sexagenario hydroptico, in quo praeter multa alia symptomata hydropi propria, dyspnoea obseruabatur, aegro infensissima, proficia deprehendebatur esse haec ipsa tinctura; post evitum vſum intra quatuor hebdomades dyspnoea cessavit, tumor in abdome dispulsus est, et spes appetet, fore, vt etiam oedema pedum adhuc relictum, continuato vſu medicamenti discutiatur.

## CASVS.

§. XXIX. Infans duorum annorum atrophicus, rhachiticus, vſu eiusdem medicamentis, spatio quatuor septimanarum sanabatur.

## CASVS.

§. XXX. In malo venereo, cui obnoxius erat iuuenis quidam, tincturae alcalinae martialis effectus salutares longe citius consequiti esse obseruabantur, quam qui ab aliis tincturis alcalinae indolis produci deprehenduntur.

## SCHOLION.

§. XXXI. Iam sufficere existimo istos casus ad confirmando ea, quae de tincturae alcalinae martialis singulari efficacia supra differebantur. Eamdem veritatem adhuc ex aliis casibus cognoui, vbi tincturam istam, sub diuersis saturationis gradibus, et specificis adaptationibus usurpatam in morbis chronicis supra descriptae conditionis, celeres exoptatissimosque effectus praestitisse obseruauit; non neglectis illis remediosis, quibus nonnumquam in curationibus chronicorum opus est, ad augendas excretiones naturales. Necesse vero est, vt, si tincturam istam cum fructu adhibere velis, ad eius diuersam concentrationem attendas. Iuuabit adeoque illam magis dilutam in subiectis sensibilioribus, paullo saturationem in robustis ad aliquot guttulas adhibere. Ad magis specificam efficaciam huic tincturae conciliandam quod porro attinet: praeter illum, quo id fieri posfir (§. IX.) modum, sequens adhuc notandum erit momentum. Ex chemicis constat, tincturas alcalinas valida esse menstrua intuitu multorum corporum vegetabilium. Quare beneficio tincturae huius alcalinae martialis permultae extractiones utilissimae ad hunc scopum imperrandum perfici poterunt. Generalia quidem haec sunt omnia, sed artis peritis sufficientia ad specialiora inde inuenienda; quibus ideoque omnia dixi, quae de isto arguento copiosissime differi potuissent. Nunc scriptiōnem meam finio.

M. Θ. Δ.

Diss. med. Halle;

Med. Diss.,

6. 1758-68.

ULB Halle  
002 830 728

3



SB

R. 100



# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

DE

NCTVRAE  
NAE MARTIALIS  
IONE VSV MEDICO ET  
VA PRAE ALIIS TINCTVRIS  
CALINAE INDOLIS

LISSIMI MEDICORVM ORDINIS  
GIA FRIDERICIANA

PRAESIDE  
AMONIETZKI

CEPTORE HONORATISSIMO

X. MAI CI C ICCC LX.

H. L. Q. S.

BLICE DISPV TABIT

AVCTOR

ΝΟΣ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΖΟΥΠΑΝ  
Μοναχοπόλιτης Μακεδών.

LAE MAGDEBURGICAE  
NO SCHNEIDERIANO.